



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Martini Martinii Tridentini E Societate Jesu Sinicae
Historiae Decas Prima**

Martini, Martino

Monachii, 1658

Decimus Imperator Is. Imperavit annis XVI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11848

DECIMUS IMPERATOR

I S.

Imperavit annis XVI.

*Cyclo 12. anno
42. ante Christum
anno 1996.**Reguli Sina-
rum clientes.**Filia ad Si-
na legationes.*

Fuit IS MANG I filius, cui exteræ circumjacentes nationes non modò tributa pendebant, sed earum quoque reges imperiorum suorum possessionem sibi ab eo conferri gloriosum ducebant; æquitatis ac justitiæ famâ, nec non altissimâ pace provocati; cuius fructum se quoque laturos ac tantæ genitæ amicitia contra finitimos hostes deinceps fore defensos judicârunt. Ea consuetudo ditionem suam auspicio Sinensis Imperatoris adeundi, etiamnum apud multos manet; quibusdam tamen, ut sunt JAPONES & COCHINCINÆ, intermissa, alijs commercij potius, quam submissionis causâ id facientibus. Cùm enim Sina sit exteris ita clausa, ut ingressus non facile ulli quam legatis pateat; Turcæ, Laosij, Samarcandæ, Mogores & Tiberani pedestri itinere, Siones verò & Camboji navibus advecti, Sinas ingrediuntur, ubi per speciem legationis tractant privata mercimonia. Neque hi Principum, quos sibi quisque fingunt, simulati oratores munera suo sumtu parata gratis apud Imperatorem profundunt. Nam longè plura recessuri accipiunt, quam dederant; illo turpe sibi futurum existimante, si munerum opulentia cuiquam concedat. Quin legati omnes, dum inibi commorantur, cum toto comitatu aluntur è publico, eorumque merces regio sumtu in regiam usque deportantur, eas quoquoversum distrahendi aut novas coemendi factâ potestate. Ubi regno iterum excedunt, pari liberalitate ad Sinarum fines nullâ suâ impensâ deducuntur, vecturis regio justi & ære procuratis. Id legationis genus exteris plurimum lucri afferit, alieno sumtu rem suam augentibus. Interea splendidè Imperatores decepti legatorum commento à regibus salutantur, qui neque regnum aliquando neque vitam habuere.

UND E-

Dicitur